

QUÆSTIO MEDICA
QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS
MANE DISCUTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORUM,
Die Jovis 11. Januarij.
M. CLAUDIO BERGER
DOCTORE MEDICO, PRÆSIDE.

An calidiori impeditoque corpori non metallica, ſed ſimplex aqua?

I.

STAT vita, membriſque omnibus habilis vigor, ſuaviſſimi caloris mediocritate, humidique primi genij ubertate: fugit tùm illius exceſſu, tum hujus diminutione, quam paulatim affert defluens ætas. Præceps verò fit utriuſque lapſus, iis inconſideratè adhibitis, quæ calefaciunt exſiccántque impenſiùs, ſalſis, acribus eſcis, vino potiſſimùm generoſo, motu nimio, cœlo non æquo, æſtuoſo, curis, vigiliis, diſſolutis moribus, exundante laſciviâ, & quæ hujus mater eſt, deſidiâ; magis adhuc medicamentis, quô à noſtrâ temperie longiùs receſſerint, hôc nocentioribus; nec mediocriter febribus, morbis aliis vehementibus, diuturnis, exoleſcit: eo ſubducto ut vitæ, ſic artis fundamento firmiſ-

ſimo, tota ruit ſanitatis ac bene medendi ratio. Planè molliciam, dulciſque ſucci affluentiam naturæ in deliciis eſſe: inde viventibus omnibus vires, delicatum ſanguinem ſufficí, nitorem, decus, lætumque honorem afflari adeò perſpicua res eſt; ut ad eam hebeſcat nemo, niſi qui ſuffocato rationis lumine, conſulto ſe ipſum obſtupefecit.

II.

AT quemadmodum moderatus viſcerum calor, à quo integer ſanguis prima eſt ſalutis cauſa; ita qui ſuperbior modum non tenet, penè cunctorum quibus premimur morborum parens eſt; maximè ubi inſincero ſanguini, præcipuæ caloris ſedi imiſque medullis implicatur. In illam enim quâ tantoperè ſcholæ perſtrepunt obſtructionem, quam & ægrotationum procreatricem, aut nutriculam perhibent, iniquè tranſcribitur vitium uni calori imputandum. Quo nempe modo ubi inſeſſu, potuve infuſa per totum corpus aqua deſcendit altiſſimè, ſoluta quæ calore tumebat pervicax illuvies, in ſe ipſa reſidit, reſtinctoque incendio, vel ſponte ſuâ effluit, vel facilè ſequitur, ducens medicamentum: ſic quoties ſopitus ſuſcitatur ignis, laxatas primulum venas denuò claudit aut malignè anguſtat, latè velut obducto limo, ſi quis tum ſubeſt, inextricabili, reluctante, nec ampliùs emovendo.

III.

AQUAS omnes ſimul atque concretorum calore metallorum, per quæ decurrunt vires, hauſere, calore quoque inſignes & duras evadere, autor eſt primus artis antiſtes, numinis quaſi dono mortalibus commendatus, & aiunt quotquot ab eo fuere excellentiſſimi Medici. Nec, dum ſuis utatur modulis ratio, dubia res eſt, quin apertè ſenſibus ſibi fidem confirmat. Quippe inſtar lixiviæ per cinerem, calcemque metallorum percolatæ, quem clanculum induere calorem, epotæ, corpori univerſo impertiunt; quodque damnorum caput eſt, ſiccitate nullâ arte emendandâ præditæ, inſitum humorem exedunt, capitis dolorem, tabem, ſterilitatem, icterum, colicos dolores, multiplicíſque generis febres adducunt, alvi demùm veſicæque

colluvionem demorantur, non metallicorum ramentorum congerie, ſed eo quem à metallis accepere ſpiritu, nobis, imò viventibus rebuſque omnibus inimiciſſimo. An ob eam rem aquas iſtas ne quidem primoribus labris ulla unquam guſtavit quadrupes? Viden ut quas illæ attingunt ſurgentes herbas elidunt, enecant; ut vel ipſum rubigine ferrum lædunt?

IV.

A Juvandâ vitâ non parum abſunt qui metallicas aquas ſtupore vulgi propè jam celebres (quibus tamen doctrinis inſtructiores veteres, rigandum caput aut ſtomachum ſupponere vix audebant) ægros nunc jubent obbibere. Non ſi extrinſecus affuſæ aliquid aliquando tulere auxilii, intus ſumuntur impunè: nec ut id ſit audaculis perſuaſum, eſt & ſapientioribus. Equidem laborantibus utero puellis, ſortiſque ſuæ pertæſis, ad eas fictis cauſis, ruſticationiſque potiùs, quàm potandi causâ proficiſci non inutile eſt. Et qui eò ſe morbo ſeneſcente contulerint, quidni naturæ ut & illius, ſic & aquarum victricis robore, inde incolumi capite redeant? iiſdem qui ſe ſeriò proluerint ſenes ac pueri, ſuæ mox temeritatis culpam luent ſpiritu. Cadent & in turba reliqui, vel ad dies forſan aliquot relevati, ſucceſſu gaudioque falſo videbuntur exultare: at erit in eorum venis atque viſceribus incluſa cæco cum igne pernicies, ſuo tempore furenter eruptura; aut in hoc ingrata miſeris ducenda erit vita, novis ut uſque ſuppetant morbis atque doloribus, unde penitùs ſe ſe nunquam evolvant.

V.

NISI ſtolido more pluris fiunt quæ pluris emuntur, nobiſque ſordent naturæ in omnibus quæ proſunt facilis munera, cum ſe dat expediendum corpus, frangenduſque calor alienus, quâvis metallicâ valere juſsâ, præſto, ac vel ante pedes eſt ſimplex dulciſque aqua, curſu præcipuè exercita, quæ ventriculo primùm jucunda, ſpiritu defectorum vires animúmque revocat, famem, ſenſus, mentemque acuit, ſuo frigore quidquid acre aut amarum eſt, caſtigat, bilem obtundit, ignem ſitimque abolet, aggeſtos ubivis humores ſua tenuitate diluit & eluit: tum quacunque

viam ſecans intimos viſcerum receſſus pervadit, ſi quas in anguſtias impegerit, eas molliendo demovet, ituris per venas purgantibus medicamentis iter adornat, euntium vires deportat, morbos nunc avertit, nunc funditùs tollit, nec ullâ interim alienâ qualitate corpus imbuit, quin tenuatum recreat, reſtituit, utque floreat, vigeat, & adſuetam vicem præſtet fortiùs, efficit. Tam latè patet ejus munificentia, ut omnium terræ virium, omnium terrâ naſcentium cauſa ſit: & veluti quam deſeruit humor, ſterilis eſt ac nuda, ita quæ ſive cœli indulgentiâ ruptoque imbre, ſive aliquo reſperſa fonte dulci eſt uligine læta majores alat herbas, alat & arbores, quæ in cœlum exeunt, frondes, ramoſque latiùs explicant, flore & fructu copioſiori ſe induunt. Quid? quod herboſorum amnium ripæ viridiſſimo gramine ſe ſe veſtiant, hocque etiam per paſtarum animantium ubera fundant lactis ſinus, flumina, nonne & ſimplicis aquæ beneficij eſt?

Ergo calidiori impeditoque corpori non metallica, ſed ſimplex aqua.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

M. Carolus de Laval.	*M. Ioannes Baptiſta de Revelois, Pharmacia Profeſſor.*	*M. Hermanus de Launay.*
M. Dionyſius Dodart.	*M. Edmundus Charier.*	*M. Philippus Harduin de S. Iacques.*
M. Dionyſius Puilon, Academia Cenſor.	*M. Raphaël Maurin.*	*M. Claudius Quiquebeuf.*

Proponebat Lutetiæ NICOLAUS DE JOUVANCI, Pariſinus, A.R.S.H. MDCLXXIV.

PARISIIS,
Ex Typographiâ FRANCISCI MUGUET, Regis ac Illuſt. Archiepiſcopi Typographi.